



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Patriarcharum, Et Christi Jesu Dei Hominis.
Emanuelis Thesavri Patritii Taurinens. Et Aloysii Jvglaris è
Societate Jesu**

Giuglaris, Luigi

Francofvrti, 1684

Adam Terræ Filius. Ænigma.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38349

ADAM
TERRÆ FILIUS.

ÆNIGMA.

Siste gradum viator; mira leges.
Hic ille jaceo, per quem omnes jacent.
Natalis mihi Sedes Damascus,
Licet in Creta nato.
Creticum quippe signum dum instituor,
Ex Typo Prototypo fio.
Ut hominem me verè dicas fictum & verum:
Cælo natum ex cæno.
Nec orbis, nec posthumus fui.
Sed Patris expers:
Vel fecit me Pater, non genuit.
Matrem habui, quæ me habet.
Lignea Nutrix, sine lacte,
Virum me aluit, non Puerum.
Filiam non filiam Uxorem duxi.
Quæ simul nata, & nupta,
Uno partu Nepotem mihi & Liberum, genuit.
Rex sine urbibus, dives sine auro,
Sine magistro eruditus, ludum aperui.
Tot nactus auditores, quot homines.
Heu stolidi sapientiæ fames!
Cum omnia scirem, ut plura scirem, desipere cæpi.
Virorum sapientissimus dementor à fœmina.
Quæ male-suada:
Pomum, cœlesti interdicto circumscriptum, attingens,
Beatæ Sylvæ fructus dum carpo,
Sylvam amitto.
Itaque cum profugâ conjuge.
Ex Rege Agricola.
Quia Numen non colui, Terram colui,
Hoc uno concordēs conjuges,
Quod uno juncti jugo.
Matris uterum tamdiu secuimus,
Donec utero nos recepit,

A 2

Itaque

Itaque me uxor immortalem peremit;
 Uxorem ego; uterque omnes.
 Ah, quam de minimo perivimus!
 Tantum malum attulit malus.
 Cujus frondibus obvolutus Anguis,
 Venenum vomuit, omnes hauserunt.
 Tuus ergo Genitor, sed nunquam visus,
 Te peremi antequam gignerem.
 Sed, ô lætas malorum vices!
 Ligno eodem reparatus, quo petii,
 Indidem venenum traxi, & medelam.
 Unâ in arbore ego deliqui, multatus est Deus,
 Cujus à cædere divivus,
 Superos petii, cum Inferos petiis.
 Minus egeram nisi peccassem.
 Nomen flagitas?
 Quatuor Mundi plagarum nomina ab Græcis pete,
 Anatole. Dyfis. Arctos, Mesebria:
 Abscissa nominum capita junge; nomen habebis,
 Dæcubii cognati mihi Mundi Anno
 MXXX.
 Surrexi post Annos
 M. M. M. M. M. CCXXXII.
 Gaude viator, ac perge.

C A I N

ADAMI FILIUS.

EPITHAPHIUM.

Huc mala verba, Viator.
 Perditorum Princeps tales poscit inferias.
 Hic avarus Agricola, felicis Frater Pastoris,
 Pejores fruges Artis imponens, omnes amisit;
 Et ingratus Deo Sator, ingrata sibi Sata deprehendit.
 Itaq; mordaci consumtus invidia,
 Quod Abelis Hostiis feliciter succederet;
 Ne fraternæ Victimæ litarent, Victimam fecit Fratrem.
 Primus hic flagitiorum institor,
 Mortem invenit, & invexit.
 Horruit Mors expiandis sceleribus nata,